



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt singuli presbyteri capitula autoritatiua habeant ad succurendum  
poenitentibus. xcix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Ut sacerdotes nulli poenitentiam iniungant ex corde,  
sed ex auctoritate. Cap. XCVI.*

**O**Mnibus his actis ventilata est ratio poenitentiae, ut sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere, & poenitentiam secundum canonicam institutionem poenitentibus deberent indicare. *Ex cōcil. Mogūti. cap. 24.*

*Ut vnusquisque presbyter octo principalia vitia per ordinem sciat. Cap. XCVII.*

**V**entilata est ratio octo principalium vitiorum, ut vnusquisque diuersitatem illorum sciat, & ab illis domino auxiliante se intelligat custodire, & aliis praedicare. *Ex eodē, cap. 5.*

*Ut sacerdotes diligenter examinent confidentium peccata. Cap. XCVIII.*

**V**t episcopi & presbyteri examinent qualiter confidentibus peccata diiudicent, & tempus poenitentiae constituent. *Ex eodē, cap. 6.*

*Ut singuli presbyteri capitula auctoritatiua habeant ad succurrendum poenitentibus. Cap. XCIX.*

**V**t vnusquisque presbyter capitula habeat de maioribus, vel minoribus vitiis, per quae cognoscere valeat, vel praedicare subditis, ut caueant ab insidiis diaboli. *Ex eodē, cap. 26.*

*De presbyteris qui culpas peccantium reticent, vel minus dignè poenitentes ad reconciliationem adducunt. Cap. C.*

**V**t nemo presbyterorum xenium, vel quodcunque emolumentum temporale, imò detrimentum spirituale à quocunque publice peccante, vel incestuoso accipiat, ut episcopo, vel ministris eius peccatum illius reticeat: nec pro respectu cuiusque personae, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc episcopo innotescere detrectet, nec à quoquam poenitente, aut gratia, aut fauore, aut munus suscipere praesumat, aut minus dignè poenitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, vel quocunque liuore alium quolibet dignius poenitentem à reconciliatione remoueat: quia hoc symoniacum, & Deo & hominibus contrarium est. *Ex decr. Alexā- dri papae*

*De illis qui truncationes membrorum fecerint. Cap. CI. Ex poenitentiāli Romano.*

**Q**ui per rixam ictu debilem, vel deformem hominem fecerit, reddat impensas medici, & medium annum